EPISTOLÆ ROMANORUM PONTIFICUM,

ET QUÆ AD EOS SCRIPTÆ SUNT,

A S. CLEMENTE I. USQUE AD INNOCENTIUM III.

QUOTQUOT REPERIRI POTUERUNT,

SEU NOVÆ, SEU DIVERSIS IN LOCIS SPARSIM EDITÆ, adjunctis fragmentis, ſpuriis ſegregatis, in unum ſecundùm ordinem temporum collectæ, ad veterum Codicum fidem recognitæ & emendatæ, præviis Admonitionibus, ubi opus fuit, Notis criticis ac Diſſertationibus, quæ hiſtoriam, dogmata, diſciplinam explicant, illuſtratæ.

Studio & labore Domni PETRI COUSTANT *Preſbyteri & Monachi Ordinis S. Benedicti è Congregatione S. Mauri.*

TOMUS I.

ab anno Chriſti 67. ad annum 440.

PARISIIS,

Apud { LUDOVICUM-DIONYSIUM DELATOUR, Bibliopolam, viâ vulgò dictâ *de la Harpe*, ad inſigne trium Regum.
ANTONIUM-URBANUM COUSTELIER, Bibliopolam & Typographum, ad ripam Auguſtinianorum.
ET PETRUM SIMON, Supremi Senatûs Typographum, viâ vulgò dictâ *de la Harpe*.

MDCCXXI.

CUM APPROBATIONE ET PRIVILEGIO REGIS.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA

SYLLABUS

Eorum quæ tomo 1. *pontificiarum epiſtolarum continentur.*

PRÆFATIO generalis. 1

PARS I. *in qua nonnulla de Pontificum Romanorum auctoritate delibantur.* 11

PARS II. *de antiquis canonum collectionibus.* LVI

§. I. *de antiqua collectione quæ apud Græcos ante concilium Calchedonense ac poſt viguit. An etiam apud Latinos recepta ſit.* LVII

§. II. *De antiquis canonum Codicibus in Occidente adornatis, nominatimque de collectione in pervetuſto exemplari Corbeienſi aſſervata.* LXII

§. III. *De Codice canonum ad calcem operum S. Leonis in noviſſima editione vulgato.* LXVII

§. IV. *De antiqua collectione Langobardicis litteris exarata.* LXXIX

§. V. *De ampliori collectione præſertim ex duabus præcedentibus conflata.* LXXXVII

§. VI. *Dionyſii Exigui collectio qualis primum fuerit.* XC

§. it. VI. *De vulgato Codice canonum eccleſiæ Africanæ.* XCIV

§. VII. *De Creſconiana collectione.* CV

§. VIII. *De collectione quam Hadrianus I. papa Carolo magno tradidit.* CVIII

§. IX. *De antiqua conciliorum & pontificiarum epiſtolarum collectione apud Hiſpanos recepta; deque veteri canonum Codice ex eadem collectione ad uſum ejuſdem eccleſiæ conflato.* CXI

§. X. *De collectione Iſidori Mercatoris.* CXXV

§. XI. *De pluribus aliis collectionibus quadam ſummatim perſtringuntur.* CXXXII

PARS III. *De pontificiarum epiſtolarum editionibus.* CXXXVII

§. I. *Qua ratione hactenus editæ fuerint pontificum Romanorum litteræ.* ibid.

§. II. *Quid à nobis in editione hac nova præſtitum.* CXLI

Diſſertatio prævia de primis D. Petri apoſtoli ſucceſſoribus. pag. 1

Circa ann. Chr. 67. S. LINUS papa quando & quam diu ſederit. 4

Circa ann. 79. S. CLETUS papa quando & quam diu ſederit. ibid.

Ann. 91. S. CLEMENS I. papa quando & quam diu ſederit. 6

Monitum in epiſt. I. Clementis. ib.

Circ. ann. 97. Epiſtola I. Clementis I. ad Corinthios. 9

Admonitio in epiſtolam ſubſequentem. 38

Epiſt. II. ejuſdem ad eoſdem. 40

Fragmenta ſuperiorum epiſtolarum, quæ in his non exſtant, ſeu aliorum operum, apud veteres relicta. 46

Fragmenta alia Clementi perperam attributa. 50

S. ANACLETUM papam à Cleto perperam diſtingui. 50

Epiſtola ac decreta falsò ei attributa. ibid.

Ann. 100. S. EVARISTUS papa quando & quàm diu ſederit. 51

Epiſtola ſeu decreta ei adſcripta. ib.

Circ. ann. 109. S. ALEXANDER I. papa quando & quàm diu ſederit. 52

Epiſtola & decreta ſeu ſcripta ei attributa. 53

Ann. 119. S. XYSTUS papa I. quando & quàm diu ſederit. 56

De decretis & epiſtolis quæ ipſius nomine circumferuntur. ibid.

Circa exitum anni 128. S. TELESPHORUS papa & martyr, quando & quàm diu ſederit. 58

Ejus epiſtola & decreta. ibid.

Ann. 139. S. HYGINUS papa quando & quàm diu ſederit. 60

§. I. *De hæreticis qui ſub Hygino Romam venerunt.* 62

§. II. *De epiſtolis & decretis Hygino attributis.* 63

Ann. 142. S. PIUS papa I. quando & quàm diu ſederit. 65

De epiſtolis ac decretis Pio adſcriptis. ibid.

157. S. ANICETUS papa quando & quàm diu ſederit. 71

§. I. *Qua ratione Anicetus cum Polycarpo ſe geſſerit. An de die Paſchæ in Dominica celebrando ſynodale decretum ediderit.* ibid.

§. II. *An de clericorum tonſura quidpiam conſtituerit.* 74

168. S. SOTER papa quando & quàm diu ſederit. 75

§. I. *De epiſtola Soteris ad Corinthios. Epiſtolæ, quam Dionyſius Corinthiorum epiſcopus eidem reſcripſit, fragmenta.* ibid.

§. II. *An Soter contra Cataphrygas, aut Tertullianus contra Soterem ſcripſerit.* 79

§. III. *De epiſtolis & decretis Soteri attributis.* 83

177. S. ELEUTHERIUS papa quando & quàm diu ſederit. 85

§. I. *De epiſtolis ad Eleutherum pertinentibus.* 87

Fragmentum epiſtolæ Vienneníis ac Lugdunenſis eccleſiæ ad Eleuthe-

PRÆFATIO GENERALIS.

1. QUAM utile commodumque ſit ea penes ſe habere ſcripta omnia ſimul collecta, quæ ad unum & idem cujuſvis diſciplinæ genus attinent, facilis eſt exiſtimatio. Norunt ipſi per ſeſe homines litterarum ſtudioſi quantum inde ſumtibus eorum operæque parcatur. Scilicet ingentis plerumque bibliothecæ loco ſunt perpauca id genus volumina, in quibus occurrunt ſtatim & ad nutum, quæ per innumeros pene libros temere diſperſa, nec ſine magnis impenſis parari, nec ſine ſumma temporis jactura evolvi queant. Adde quòd legentis animum regit ipſa collectionis ſeries, & continuo quaſi filo à primis rerum initiis ad finem uſque ſenſim deducit. Hinc adeo cuivis facillimum eſt monimenta inter ſe conferre ac penitiùs ſcrutari; alia ex aliis explanare, illuſtrare, firmare; geſtorum, ſi quæ occurrunt, origines, cauſas, adjuncta, conſecutiones introſpicere; obſervare, quod plerumque latet, verborum aut ſententiarum vim ac proprietatem; quod vetuſtum eſt aut recens, quod ſingulare aut pervulgatum annotare; recto denique curſu ſic ad unum tendere, ut nec à propoſito aberret umquam, nec laboris aut temporis quidquam deperdat. Id porro ſi de quavis lucubrationum ſpecie, certè de pontificum Romanorum litteris dicere liceat, quæ maximam fere partem ſic inter ſe aptæ connexæque ſunt, ut aliæ ex aliis naſcantur ac pendeant; atque adeo non interruptam, ſed continentem quodam modo poſtulent lectionem. Verùm latent illæ, non ſine magno litteratorum incommodo, variis hinc inde voluminibus inſertæ, ut quam naſcentes primùm adſpexerant, eâ carere luce videantur. Intereſt tamen ut non careant; idque inficiabitur nemo, qui ſit diligens & æquus rerum æſtimator.

Utilitas collectionum quæ ejuſdem generis ſcripta ſimul exhibent.

2. Et ſanè ſi veterum omnium litteras, ac eorum præſertim qui maximis reipublicæ muneribus uſi ſint, ſolemus in pretio habere; ſi ex his potiſſimùm inſtrumentis eruimus intimam antiquitatis cognitionem, hiſtoriamque eorum temporum, quibus ii, qui illa ſcripſere, floruerunt: quanto in pretio quantæque utilitatis eſſe debent epiſtolæ præſulum illorum, quos maximarum rerum adminiſtros ſemper fuiſſe, ſummumque in republica Chriſtiana gradum tenuiſſe conſtat? Verè dicam: quacumque eas ex parte adſpicias, quamlibet breves exileſque ſint nonnullæ, nihil in eis jejunum inopſque rerum, nihil quod fructu vacet, vulgò reperias. Totæ huc præſertim ſpectant, ut catholicæ fidei dogmata vel fidelibus exponant apertiùs, vel ab hæreticorum telis

Epiſtolarum pontificiarum collectio ad litterariam fidei, diſciplinæ ac morum cauſam conducit.



Apoſtolicæ ſedis ad conſultationes Orientis et Occidentis reſponſa.

EPISTOLÆ ROMANORUM PONTIFICUM.

DISSERTATIO PRÆVIA,

IN QUA PRÆSERTIM DE PROXIMIS B. PETRI apoſtoli ſucceſſoribus breviter tractatur.

P*ONTIFICUM ſingulorum ſcriptis præmitti ſummam eorum, quæ geſſerint, nonnemo forſitan deſideraret: ſed quia paucis id fieri plerumque non poſſet, hoc opus prætermittendum duximus, niſi ſingularis quædam ratio interdum poſtulet, ut nonnullorum geſta paulò explicatius exponamus. Neque verò illud ſupplere licet ex vulgato Damaſi Pontificali libro, cùm huic operi frequentia, quæ identidem occurrunt, & aperta mendacia omnem detrahant auctoritatem.*

Cur Pontificum geſta epiſtolis eorum fuſius non præmittantur.

II. Pluris intereſt, ut ſummorum Pontificum ſcripta lecturi, quo quiſque tempore pontificatum vel inierit vel finierit, non ignorent. Quocirca muneri noſtro meritò judicaremur defuiſſe, ſi illud notare prorſus negligeremus. Sed quia iſtud ſæpe prolixas diſſertationes, quibus parcendum arbitramur, exigeret, ac de plurimis priorum ſæculorum Pontificibus, quo die vel fuerint ordinati vel obierint, nonniſi difficillimè aut etiam nulla omnino certa ratione definiri poſſit, quid ea de re probabilius ſenſerint, qui in hujuſmodi opere feliciùs deſudaſſe videbuntur, annotare ſatis nobis fuerit.

Qua ratione tempus, quo pontificatum inierunt vel finierunt, annotatur.

III. Ne de anno quidem, quo apoſtoli Petrus & Paulus vitam finierunt, inter eruditos convenit. Euſebius in Chronico, quem & Hieronymus libro de viris illuſtribus cap. 1. & 15. ſequitur, eos Neronis anno 14. hoc eſt Chriſti 68. obiiſſe tradit. Sed cùm eoſdem Apoſtolos Neronis juſſu peremtos Hieronymus ſimul & Euſebius nullo reclamante aut repugnante conſcribant, ac Neronem ipſo anno Chriſti 68. ante 29. Junii diem interiiſſe conſtet, minimè accurata eſt hæc Euſebii Hieronymique epocha, ſi Petri & Pauli martyrium in eum diem, quo illud Eccleſia celebrat, incidit. Epiphanius hær. 27. n. 6. horum Apoſtolorum necem in annum Neronis 12. hoc eſt Chriſti 66. incurriſſe auctor eſt: atque ab hac opinione ſtant eruditi nonnulli. Et tamen plures anteponunt alteram, quam Hieronymus lib. de viris illuſtr. cap. 12. retegit, ubi Senecam

Quo anno Petri & Pauli martyrium contigerit.

ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ
ΚΛΗΜΕΝΤΟΣ,
ΤΟΥ ΡΩΜΗΣ ΕΠΙΣΚΟΠΟΥ
ΕΠΙΣΤΟΛΗ ΠΡΟΣ ΚΟΡΙΝΘΙΟΥΣ ΠΡΩΤΗ.

Ἐκ προσώπου τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας γραφεῖσα.

SANCTI CLEMENTIS
ROMANI EPISCOPI
EPISTOLA AD CORINTHIOS PRIMA,

Ex perſona [a] Romanæ eccleſiæ ſcripta, a

Ad ſedandam ſeditionem, quâ per unum aut alterum concitatâ, presbyteri ab Apoſtolis aliiſque deinceps viris eximiis conſtituti, injuſtè ab officio dejecti fuerant.

[Ἡ Ἐκκλη]σία τοῦ Θεοῦ ἡ παροικοῦσα [Ῥώμην] τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ τῇ [παροικούσῃ Κόρινθον, κλητοῖς ἡγι]ασμέν[οις ἐν θελήματι Θεοῦ, διὰ τοῦ [κυρίου ἡμ]ῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. [Χάρις ὑ]μῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ παντο[κράτορ]ος Θεοῦ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ πληθυνθείη, [ἐφ' ὑ]μῖν * ἰδίοις καὶ ἐπ' ἀλλήλοις.

* f. ἰδίαις καὶ ἐπαλλήλοις

[Διὰ γενομ]ένας ἡμῖν συμφορὰς καὶ [περιπ]τώσεις, ἀδελφοί, * βράδιον * [δοκοῦ]μεν ἐπιστροφὴν πεποι[ῆσθ]αι, περὶ τῶν ἐπιζητουμένων [πα]ρ' ὑμῖν πραγμάτων, ἀγαπητοί, τῆς τε ἀλλοτρίας καὶ * ξένοις τοῖς ἐκλεκτοῖς τοῦ Θεοῦ, μιαρᾶς καὶ ἀνοσίου στάσεως, ἣν ὀλίγα πρόσωπα προπετῆ καὶ αὐθάδη ὑπάρχοντα, εἰς τοσοῦτον ἀπονοίας ἐξέκαυσαν, ὥστε τὸ σεμνὸν καὶ περιβόητον, καὶ πᾶσιν ἀνθρώποις ἀξια-

* f. βράδιον
* f. νομίζομεν
* f. ξένης

ECCLESIA Dei quæ incolit Romam, eccleſiæ Dei quæ incolit Corinthum, vocatis ſanctificatis in voluntate Dei per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, gratia vobis & pax ab omnipotente Deo per Jeſum Chriſtum in vobis ſingulis & erga vos invicem multiplicetur. Circ. ann. Chr. 97.

1. Propter calamitates & caſus adverſos qui nobis [b] acciderunt, fratres, tardiùs videbimur convertiſſe animum ad eas res, quæ à vobis, dilecti, quæſitæ ſunt, & ad impiam ſimul & deteſtandam atque electis Dei alienam & extraneam ſeditionem, quam pauci homines temerarii & contumaces tantâ dementiâ inflammarunt, ut venerabile ac celebre & dignum quod ab omnibus ametur nomen veſtrum magnopere blaſphemetur. Quis enim apud

Litteris Corinthiorum tardiùs reſcribit. b

Clemens Alexandr. lib. 4. Strom. pag. 516. hæc citat.

a Eam ob cauſam Irenæus lib. 3. c. 3. *ab eccleſia quæ eſt Romæ ſcriptam* dicit, licet etiam Clementem ejus ſcriptorem fuiſſe ſciat. Maluit autem Clemens eccleſiæ ſuæ quàm proprio eam nomine inſcribere: vel quia tum præſules nihil ſine eccleſiæ ſuæ conſilio agere ſolerent, ut Cyprianus de ſe nominatim epiſt. 5. ad clerum ſuum memoravit his verbis: *Solus reſcribere non potui; quando à primordio epiſcopatus mei ſtatuerim, nihil ſine conſilio veſtro & conſenſu plebis, meâ privatim ſententiâ, gerere*: vel etiam ne proprias partes agere videretur, ſi nisi ... erat apud Corinthios eccleſiaſticis viris compreſſa dignitas atque reverentia, aut ipſe ſolus, aut cum eo clerus ſine plebe eccleſiam illam alloqueretur. Poſtulabat præterea eadem ratio, ut ſi quidem prius Corinthii non ad Clementem ipſum, ſed ad Romanos ſcripſerant, Romanorum nomine Clemens, non proprio reſcriberet.

b Sæviente ſcilicet Domitiani perſecutione, quæ anno Chriſti 95. cœpit. Quo tempore Romanam eccleſiam convocare, ut Corinthiorum votis fieret ſatis, minimè liberum erat. Qui calamitates, quas Clemens exſul paſſus ſit, hîc commemorari putant, non attendunt eum Romanæ eccleſiæ nomine ſcribere, adeoque non privatas, ſed ſibi cum eccleſia Romana communes ærumnas enarrare.

inſignitum, huic de prærogativa ſedium decreto adjunctum habeat generalium ſynodorum indicem, in quo nec Epheſina neque Calchedonenſis, ſicut nec Cœleſtini ac Leonis, neque Neſtorii & Eutychetis nomina tacentur; mirari ſubit quo pacto vir oculatiſſimus titulo, cujus falſitas adeo eſt manifeſta, decipi tam facilè potuerit. Fruſtra etiam idem Cardinalis hanc obtendit decreti de prærogativa ſedium edendi rationem, quia nimirum componendo tum videretur regiæ urbis antiſtitis ambitio. Quid enim exinde Damaſus ſibi metuendum judicaret, ubi celebrem cernebat epiſcoporum aulicorumque legationem Imperatoris juſſu deſtinatam, quæ Nectarii ordinationem ab ipſo confirmari poſtularet? Neque verò Leo, cum poſtea ſedium prærogativam ſibi adversùs Anatolii molitiones tuendam duxiſſet, eam ullo Damaſi ſeu Romanæ ſynodi decreto, ſed una Nicænorum canonum auctoritate defendit.

Leo epiſt. 95. & 97.

27. *Photius lib. de ſynod. primariis præſulibus, qui œcumenico II. concilio interfuerunt, recenſitis, ſubjicit:* Quibus haud multò poſt & Damaſus Romæ epiſcopus, eadem confirmans ſuoque conſenſu comprobans acceſſit. *Ubi Conſtantinopolitani concilii anno 381. celebrati geſta anno 382. Romana in ſynodo, qua de agimus, à Damaſo confirmata eſſe non obſcurè docet. At hæc dicenti, ſi de quibuslibet geſtis vel canonibus ſit ſermo, fidem detrahit Leo, qui Anatolio concilii C. P. canones jactitanti epiſt. 97. n. 6. reſcribit:* Perſuaſioni enim tuæ in nullo penitus ſuffragatur quorumdam epiſcoporum *(Conſtantinopoli)* ante LX. ut jactas, annos facta conſcriptio, numquamque à prædeceſſoribus tuis ad apoſtolicæ ſedis tranſmiſſa notitiam. *Si autem de iis tantùm, quæ in concilio C. P. circa fidem aut adversùs Maximi Cynici ordinationem decreta ſunt, intelligenda ſunt Photii verba; nec ſic ille ſatis accuratè loquitur. In utraque enim re concilii C. P. patribus non tam acceſſit Damaſus, quàm præivit. Quippe ab anno 380. disertis verbis Maximi Cynici condemnarat ordinationem, & ab anno 378. tum Spiritus-ſancti adversùs Macedonianam hæreſim, tum Incarnationis fidem adversùs Apollinarianam pravitatem luculenter aſſeruerat atque vindicarat. Reſtat igitur, ut prædictam ſynodum eatenus confirmaſſe dicatur, quatenus Nectarii ordinationem in illa factam aſſenſu ſuo comprobavit.*

XVI.

Ann. 382. & 384. Damaſi ſcripta, quibus ne gentiles ritus reſtituerentur obſtitit.

28. *Eodem anno 382. nonnulli nomine Senatûs à Gratiano imperatore poſtularant, ut aram victoriæ ac veteres religiones reſtitui juberet. Eorum petitioni ſtatim interceſſit vigilantiſſimus paſtor Damaſus. Et ut vanos illorum conatus infringeret validiùs, ab innumeris ſenatoribus libellum, quo nihil hujuſmodi à ſe mandatum teſtificabantur, curavit ſubſcribi; eumque ad Ambroſium, ut Imperatori porrigeretur, miſit. In caſſum igitur tunc laborarunt ethnicæ ſuperſtitionis cultores. At fermè biennio poſt Symmachus Urbis præfectus Valentiniano imperatori relationem eodem Senatûs nomine dedit, ut quod à Gratiano impetrari non potuerat, ab ejus fratre obtinere niteretur. Sed neque tum Damaſus interceſſione abſtitit: verùm hujus negotii curam rurſus Ambroſio delegavit. Qua de re Ambroſius epiſt. 17. n. 10. ipſe Valentinianum juniorem ſic alloquitur:* Abſit ut hoc Senatus petiiſſe dicatur; pauci Gentiles communi utuntur nomine. Nam & ante biennium fermè, cùm hoc petere tentarent, miſit ad me ſanctus Damaſus Romanæ eccleſiæ ſacerdos judicio Dei electus libellum, quem Chriſtiani ſenatores dederunt, & quidem innumeri, poſtulantes nihil ſe tale mandaſſe, non congruere *(ſe)* iſtiuſmodi petitionibus, non præbere conſenſum; queſti etiam publicè privatimque ſe non conventuros ad Curiam, ſi tale aliquid decerneretur. *Deinde addit:* Hunc libellum ego fratri clementiæ veſtræ *(Gratiano)* direxi: unde conſtitit non Senatum aliquid de ſuperſtitionis impenſis mandaſſe legatis. *Moxque num. 12. ſubdit:* Et ideo memor legationis proximè mandatæ mihi, convenio iterum fidem tuam &c. *Quibus verbis innuit, hanc ſibi à Damaſo proximè delegatam eſſe provinciam, ut principem conveniret, atque à concedendis poſtulatis ejus animum avocaret, quomodo idem papa fermè ante biennium ſimilem ipſi apud Gratianum legationem demandarat. Utramque verò non ſine Damaſi litteris præſtitum facilè judicatur. Porrò cùm prima illa legatio Gratiano ſuperſtite, altera autem eodem imperatore, qui menſe Auguſto anni 383. interemtus eſt, defuncto, & Symmacho Urbis præfecto, demandata ſit; non malè ad annum 382. prima & ad annum 384. altera refertur.*

XVII.

Circa an. 383. Orientalium ad Damaſum litteræ.

29. *Ex ipſius Damaſi epiſtola 14. notæ nobis ſunt Orientalium ad ipſummet litteræ circa annum 383. conſcriptæ, quibus obſervantiam ſuam erga ſedem apoſtolicam teſtati, Timotheum Apollinaris diſcipulum ab eo deponi flagitabant.*

XVIII.

Damaſi epiſtolæ ad conſulta Orientis & Occidentis.

30. *Ex verbis Hieronymi epiſt. olim 110. nunc 91. ad Ageruchiam,* Cùm in chartis eccleſiaſticis juvarem Damaſum Romanæ urbis epiſcopum, & Orientis Occidentiſque conſultationibus reſponde-

APPENDIX

Tomi I. Epiſtolarum pontificiarum, adulterina complectens ſcripta vel geſta, Pontificibus in hoc tomo recenſitis falsò attributa.

MONITUM

in epiſtolam ſequentem.

I. JOhannes-Baptiſta Cotelerius inter ea, quæ Clementina inſcripſit, epiſtolam ſequentem græcè & latinè edidit. Ejuſdem interpretationem jam habebamus à Rufino acceptam, quam Iſidorus Mercator adoptans in fronte collectionis ſuæ cum non modica acceſſione præpoſuit. Cùm autem hanc Iſidori collectionem ſuo loco exhibituri ſimus, nonnullis fortè ſupervacaneum videbitur, epiſtolam ei inſertam aut hic repræſentare, aut illic recudere. Sed neque hanc ſine græco, quo primùm ſcripta eſt, edere, neque in mera Iſidori collectione græcum, quo caruit, adjicere convenit. Eo autem propenſiùs primigenium textum græcum unà cum Cotelerii interpretatione hic præmittimus, quòd Rufini è græco in latinum converſiones quàm liberæ ſint & indiligentes, nemo non novit. Qui autem illius deſiderat interpretationem, Mercatoris collectionem, in qua competentem ſibi locum obtinebit, adeat. Patr. t. ſec. pr. t. pag. 533. Cur hîc omittatur Rufini interpretatio.

II. Rufinus præfat. in vulgatos Recognitionum Clementis libros epiſtolam iſtam his libris poſteriorem opinatur. Photius verò cod. 112. & 113. dedicationem eſſe exiſtimat operis, quod actus Petri & diſputationes cum Simone necnon recognitionem Clementis ejuſque patris ac fratrum complectebatur; atque hujus ſententiæ ſubſcribit Cotelerius: maximè cùm ad calcem epiſtolæ fingatur Clemens juſſu Petri ad Jacobum mittere opus cum hac inſcriptione, Clementis Epitome prædicationum Petri in peregrinationibus, ſive ut Rufino magis placuit, Itinerarium Petri. Quo dicto, ſtatim ſubdit pſeudo-Clemens, atque epiſtolam claudit his verbis, Ceterùm exponere ut juſſus ſum incipiam; quibus ſanè aliquod opus proximè ſubſecuturum promittitur. Præterea cum epiſtolæ hujus fine, ut poſtremâ nota indicabimus, tam aptè cohæret Recognitionum Clementis exordium, ut opus iſtud hic promitti nihil propè dubitemus. Eſt velut præfatio in Recognitiones Clementis.

III. Unde confici arbitramur, ut epiſtolæ hujus ac mox dicti Itinerarii unus & idem ſit parens. Cùm autem Itinerarium illud Eccleſia reſpuat ut nugis ac fabulis refertum, ideoque Gelaſii ejuſque concilii judicio inter apocrypha rejectum ſit, eodem judicio & de hac epiſtola quid cenſendum ſit edocemur. Idem quoque judicium firmat manifeſta illius cum Clementinis homiliis conſenſio, quam Cotelerii marginalibus notis adjuti exploratam habuimus. Neque verò inficias ibit quiſquam, qui citata loca cum epiſtola noſtra contulerit, utrumque opus ex officina una prodiiſſe. Apocrypha eſt. Gelaſ. epiſt. 13. n. 7.

IV. Senſit etiam Rufinus id epiſtolæ hujus veritati adverſari, quòd Clemens proximè Petro ſucceſſiſſe in ea prædicatur; ac ſibi objici non diſſimulat, quomodo cùm Linus & Cletus in urbe Roma ante Clementem hunc fuerint epiſcopi, ipſe Clemens ad Jacobum ſcribens, ſibi dicat à Petro docendi cathedram traditam. Ille quidem reſpondet: Cujus rei hanc accepimus eſſe rationem, quòd Linus & Cletus fuerunt quidem ante Clementem epiſcopi in urbe Roma, ſed ſuperſtite Petro, videlicet ut illi epiſcopatûs curam gererent, ipſe verò apoſtolatûs impleret officium; indeque factum, ut & illi ante Clementem numerentur epiſcopi, & Clemens tamen poſt obitum Petri docendi ſuſceperit ſedem. Sed hanc rationem nullam eſſe jam demonſtravimus cùm aliis momentis, tum Romanorum pontificum catalogis, quos texuerunt antiqui patres. In his quippe Linus & Cletus ante Clementem, non ſolùm ut Romani epiſcopi, ſed etiam ut proximi Petri ſucceſſores recenſentur. Rufin. præfat. in lib. Recog. Qua ratione Rufinus Clementem intelligat Petri ſucceſſorem. Epiſtolæ ſequentis manifeſta falſitas.

V. Sed & inde certa & explorata eſt epiſtolæ hujus falſitas, quòd eam Clemens poſt